

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber primus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

L. ANNÆI SENECAE

AD AEBVCIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM ET ORDO.

B



Os libros inter Philosophiæ ultimos pono, et si frontem antea tenuerunt. Sed res ita est, si tempus spectes: & scripti omnino sunt sub Nerone, post Claudij mortem. Argumentum certum, quod sine libri primi contemptum admodum de Claudio, & futile eius iudicium traducit: non facturus vniquam illo viuo. Libri boni sunt, sed mehercule in ordine & tractatu confusi: quem vix est vel adnitentem expedire. Tamen, vt possumus. Primus liber exordium habet & querelam de Ingratitudine, quæ crebra est, & inter vitia tamen magna. Ideò de Beneficiis se scripturum, Quæ vis eorum, & Proprietas sit? Hæc vsque ad Cap. v. Tum definit, Beneficium non in materie, sed animo tribuentis esse: & ab eo pendendum. Diducit per exempla, & argumenta, vsque ad Cap. xi. Ibi duo membra dicendorum proponit, Quæ Beneficia danda, & Quemadmodum? Prius exsequitur ad finem libri: alterum differt in sequentem.

C

CAPVT PRIMVM.



*INTER multos ac varios errores temerè viuentium incon-
sulteque, nihil propemodum, vir optime Liberalis, dixerim
nocentius, quàm quod beneficia nec dare scimus, nec ac-
cipere. Sequitur enim vt malè collata, malè debeantur. de
quibus non redditis, serò querimur: ista enim perierant,
cùm darentur. Nec mirum est, inter plurima maximaque
vitia nullum esse frequentius, quàm ingrati animi. Id eue-
nire ex pluribus causis video. prima, quod non eligimus di-
gnos, quibus tribuamus: sed² nomina facturi, diligenter in
patrimonium & vasa debitoris inquirimus: semina in so-
lum effectum & sterile non spargimus: beneficia sine vlllo delectu magis proicimus,
quàm damus. Nec facile dixerim, vtrum turpius sit inficiari, an repetere beneficium.
Id enim genus huius crediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum vltro refertur:
⁴ decoquere verò fœdissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad liberandum fidem
facultatibus, sed animo. reddit enim beneficium, qui libenter debet. Sed cùm sit in
ipsis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. Multos expe-
rimur ingratos, plures facimus: quia aliàs graues exprobratores exactoresque sumus;
⁶ aliàs leues, & quos paullo post muneris sui paniteat; aliàs queruli, & minima mo-
menta calumniantes. Ita gratiam omnem corrumpimus, non tantum postquam dedi-
mus beneficia, sed dum damus. Quis enim nostrum contempsit fuit, aut leuiter rogari,
aut semel? quis non, cùm aliquid à se peti suspicatus est, ⁸ frontem adduxit, vultum
auertit,*

D

A auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus, & de industriâ non inuenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates elusit? In angusto verò comprehensus, aut distulit, ¹⁰ id est, timide negauit; aut promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis & ¹¹ vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse aduersus eum quisquam potest, qui beneficium aut ¹² superbè iniecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestiâ careret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torisit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur: & ideò non est negligenter dandum. Sibi enim quis debet, quod ¹³ à nesciente accepit. Nec tardè quidem: quia cum in omni officio magni aestimetur dantis voluntas, qui tardè fecit, diu noluit. Vtique non contumeliosè. nam cum ita naturâ comparatum sit, ut ¹⁴ altiùs iniuriæ quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat: quid exspectat qui offendit, dum obligat? Satis aduersus illum gratus est, si quis ¹⁵ beneficio eius ignoscit.

B Non est autem quòd tardiores faciat ad benè merendum, turba ingratorum. Nam primum (ut dixi) nos illam augemus: deinde ne deos quidem immortales ab hac tam ¹⁶ effusa

COMMENTARIUS.



A P. I. I. NOCENTIVS.] *Pro quo alij peius, alij fœdus edunt. At in scriptis nihil horum: ut appareat coniectanea hac, non germana esse. Meus liber: dixerim subesse tantum errorem: sed nec id purum fortasse.*

2. NOMINA FACTURI.] *Obligaturi aliquem, ut is qui es credunt. Asconius: Nomina, tituli debitorum: quia nempe in Codice vel calendario annotabant, Scio tot HS. Lucio tantum dedi.*

3. VASA DEBITORIS.] *Instrumentum, supellectilem, & quidquid non est soli. Inde Vasa conclamare, in castris: & Vasarium, pecunia quæ Præsidibus ad domesticum instrumentum. Græci ita laxè etiam τὸ οὐκ ἴδιον.*

4. DECOQUERE.] *Alij libri, de quo queri, male. Decoquere valet, fidem nolle aut non posse liberare, foro cedere. Inde metaphora ad ingratos ex professo in beneficiis. Vide IV. De Benefic. cap. XVI. & epist. LXXXI.*

5. SED ANIMO.] *Cicero iamantè: Gratiam & qui refert, habet; & qui habet, eo ipso quod habet, refert: bellè & acutè.*

6. ALIAS LEVES.] *Columella: Multi beneficia, quæ in amicos contulerunt, leuitate destruant.*

7. MINIMA MOMENTA.] *Occasionum aut temporum, quibus videantur potuisse reddere.*

8. FRONTEM ADDUXIT.] *In tristitiâ aut fastidio facimus, & corrugamus. Inde homines adducti, graues, seueri, tristes. Adde infra lib. IV. cap. XXXI. lib. VI. cap. VII. In hoc genus Martialis:*

Durum est Sexte negare, cum rogeris:

Quanto durius, antequàm rogeris.

9. IN ANGVSTO.] *Vbi elabi aut eludere non esset.*

10. ID EST, TIMIDE.] *Benè. nam causam dilationis exprimit, quæ est ut in presenti amoliat, non ut postea præstet. In eos quoque ille Hispanus:*

Inquiris, dubitas, cunctaris, teque diebus Meque decem crucias: iam rogo, Phœbe, nega.

11. VIX EXEUNTIBVS.] *Quod signum animi inprompti. At Tiberius hic contrâ. qui compositus aliàs, & velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quoties subueniret. Tacitus IV. Annal.*

12. SUPERBE INIECIT.] *Libri scripti, abiecit: ego vellem, obiecit.*

13. A NESCIENTE.] *Rectè. vnus tamen meus, & à nesciente: ex quo, ut à nesc. facias. Vulgati: quod à negligente, nec malè.*

14. ALTIVS INIURIÆ.] *Herodianus in Pertinacis Oratione: Καὶ τὰ μὲν δεινὰ τῶν ἔργων αἰὲ μνημονεύεται τὸ δὲ λυσιτελεῖν δὲ οὐκ ἀλείπτειν τὰ δὲ χρηστὰ, ἀμὰ τῇ ἀπολαύσει, καὶ τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην συναυαλίσει: Iniuriarum, si quæ factæ sunt, semper est memoria; & quidquid offendit, ægrè eximitur aut obliteratur: at beneficiorum, vnà cum ipso fructu vsuque, memoria perit. Plautus:*

—ita sunt isti diuites.

Siquid benè feceris, leuior plumâ est gratia: Siquid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Tacitus & causam utrique affectioni assignat, IV. Annal. Procliuius est iniuriæ, quàm beneficio, vicem exsoluere. quia gratia oneri, vltio in quæstu habetur. Dio Cassius, & aliam causam, lib. XLVI. Non eodem modo aduersus eos qui benè, & qui malè fecerunt, homines afficiuntur. sed iræ atque iniuriæ vel inuiti reminiscuntur; beneficij & gratiæ vltro obliuiscuntur. Atque istud quidem, quòd dedignantur videri beneficio affecti, tamquam minores: illud autem, quòd ignauiæ suspicionem de se præbere videantur, nisi malum malè factoribus reponant.

15. BENEFICIO EIVS IGNOSCIT.] *Nempe contumelioso, & quod odium magis quàm gratiam mereatur.*

16. EFFUSA

¹⁶ effusâ benignitate sacrilegi, negligentisque eorum, deterrent. Utuntur naturâ suâ, & A cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, iuuant. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non fâneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. At malè cessit. Et liberi, & coniuges spem fefellerunt: tamen & educamus, & ducimus. adeoque aduersus experientia pertinaces sumus, ut bella victi, & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficiis decet? quæ si quis non dat quia non recipit, dedit ut reciperet, bonamque ingratorum facit causam: quibus ita demum turpe est non reddere, ¹⁷ si & licet. Quam multi indigni luce sunt? & tamen dies oritur. Quam multi, quod nati sunt, queruntur? tamen natura sobolem nouam gignit, ipsosque qui non fuisse mallent, esse patitur. Hoc & magni animi & boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, & post malos quoque bonum querere. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? nunc est virtus, dare beneficia: non utique reditura, quorum à viro egregio statim fructus perceptus est. Adeo quidem ista res fugare nos, & pigriores ad B rem pulcherrimam facere non debet; ut si spes mihi præcidatur gratum hominem rependi, malim non recipere beneficia, ¹⁸ quam non dare. Quia qui non dat, vitium ingrati antecedit. Dicam quod sentio. qui beneficium non reddit, magis peccat; ¹⁹ qui non dat, citius.

11.

²⁰ Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.

In priore versu utrumque reprehendas. nam nec in vulgus effundenda sunt; & nullius rei, minimè beneficiorum, honesta largitio est. quibus si ²¹ detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens sensus mirificus est, qui vno benè posito beneficio, multorum amissorum damna solatur. Vide, oro te, ne hoc & verius sit, & magnitudini benè facientis aptius, ut illum hortemur ad danda, etiam si nullum benè positurus est. Illud enim falsum est, *Perdenda sunt multa*. Nullum perit, quia qui perdit, computauerat. Beneficiorum simplex ratio est: tantum ²² erogantur. si reddet aliquid, lucrum est: si non reddet, damnum non est. Ego illud dedi, ut darem. nemo beneficia ²³ in kalendario scribit: nec auarus exactor ad horam & diem appellat. Numquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus à reddente: alioquin in formam ²⁴ crediti transeunt. Turpis fâneratio est, beneficium expensum ferre. Qualiscunque priorum euentus est, perseuera in alios conferre. melius apud ingratos iacebunt: quos

16. EFFUSA BENIGNITATE.] Libri scripti aliquot, necessitate. Otiosam vocem non arbitror, tenuerimque & ipsam, sed mutatam: effusâ nec cessante benignitate. Duo enim in diuinis beneficiis laudanda. & quod larga, & quod assidua.

17. SI ET LICET.] Nam vera gratitudinis lex, legem non habere. Voluntaria tota est: & si tu adstringis & reposcis, iam beneficii gratia ac decor perit, ingratitude autem infamia. Hanc enim solam habet: atque idè habet, quia non necessitatem, aut pœnam. Hæc adde, illa abiit.

18. QVAM NON DARE.] Animosè. sed & Epicuri illius, etsi omnia utilitate metientis, hoc scitum est: Non solum honestius, sed iucundius esse, beneficia dare, quam accipere. Plutarchus in libello, Cum Principe esse philosoph.

19. QVI NON DAT, CITIVS.] Benè. Muretum nequis audiat eiicientem, aut in Attius, mutantem: quasi sequentes illius sint versus. Optimè, inquam, illud sic distinctum, & pro Seneca mente, istâ: Peccare utrumque, & qui non dat, & qui non reddit: sed hunc amplius, illum citius. Iste, quia obligatus, peccat; ille,

quia non obligat. modo igitur iste plus peccat; ille tempore prius citiusque, & ut prædixit, vitium ingrati antecedit.

CAP. II. 20. BENEFICIA IN VVLGV.S.] Ad aliam partem, sensumque transilit potius, quam transit: & alibi id facit. alioqui suspicere de leui hiatu.

21. DETRAXERIS IVDICIUM.] Valerius: D Liberalitatis duo sunt maximè probabiles fontes, verum Iudicium, & honesta Beniuiolentia. nam cum ab his oritur, tunc demum ei ratio constat.

22. EROGANTVR.] A meâ coniecturâ est. Libri, erogatur, singulariè: ex quo Muretus, erga tu, imperando. Sententia nostra liquet: Beneficia, inquit, pura sunt, simplicia, aspectum alium non habent: erogantur & dantur tantum.

23. IN KALENDARIO.] Libro, in quo nomina, & pecunia fenebris, quam Kalendis solent ponere: atque illinc vsuras ordiri. Alibi dicimus.

24. CREDITI TRANSEVNT.] Mei libri, credendi transit. Legam, credentis transit: ad hominem ipsum referendo.

25. AVT

A quos aut pudor, aut occasio, ²⁵ aut imitatio aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaueris: opus tuum perage, & partes boni viri exsequere. ²⁶ Alium re, alium fide, alium gratiâ, alium consilio, alium præceptis salubribus adiuua. Officia etiam feræ sen-
 tiunt: nec vllum tam immanis animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impunè tractantur: elephantorum feritatem vsque in seruire obsequium ²⁷ demeretur cibus. Adeo etiam quæ extra intellectum atque æstimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus est aduersus vnum beneficium: aduersus alterum non erit. duorum oblitus est: tertium etiam eorum quæ exciderunt, memoriam reducet. ²⁸ Is perdit, qui citò se perdidisse credit. At qui instat, & onerat priora sequentibus, etiam ex duro & immemori pectore gratiam extundit. Non audebit aduersus multa oculos attollere. quocumque se vertit, memoriam suam fugiens, ibi te videat: beneficiis tuis illum cinge. Quorum quæ vis, quæve proprietas sit, dicam, si prius illa, quæ ad rem non pertinent, transilire mihi permiseris. ²⁹ Num dicam quare tres Gratia, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, iuuenes, & virgines, solutaq; ac pellucidâ veste? Alij quidè videri volunt vnâ esse, quæ det beneficiû: alteram, quæ accipiat: tertiam, quæ reddat. ³⁰ Alij tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul & accipientium reddentiumque. Sed vtrûlibet ex istis iudicauerim: quid ista nos iuuat scientia? Quid ille ³¹ consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficij per manus trãseuntis, nihilominus ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit, & vices seruauit. Ideo ridentes: quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant, vel accipiunt beneficia. Iuuenes: quia non debet beneficiorum memoria senescere. ³² Virgines: quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta. ³³ In quibus nihil esse alligati decet, nec ³⁴ adscripti: solutis itaque tunicis vtuntur. Pellucidis autem; quia beneficia ³⁵ conspici volunt. Sit aliquis vsque eò Græcis mancipatus, vt hæc dicat

C 25. AVT IMITATIO.] *Vt aliorum exemplo, quos gratos vident, grati fiant. Gruterus tamen malebat incitatio: ego verò inuitatio. Exigere non licet; inuitare ad gratitudinem, licet & iuuat.*

26. ALIUM RE.] *Breuitè partitur benefaciendi modos aut vias. quos vberius, sed ferè eosdem ex Platone, Diogenes Laërtius. Beneficentia, inquit, quadrifariam exercetur: Opibus, Corporibus, Disciplinis, Sermonibus. Opibus, cum egenos pecuniis aut aliâ re iuuamus; Corporibus, cum iniuriâ affectos tuemur aut vindicamus; Disciplinis, cum docemus, medemur, aut arte aliquâ ornamus; Sermonibus, cum in iudicio defendimus, solamur, aut tale. Pulchra sunt, & gemina his nostris.*

CAP. III. 27. DEMERETVR CIBVS.] *Nam capiti fame domantur, & offerentem deinde cibum amant, audiuntq; Plinium, Aelianum, vide.*

28. IS PERDIT.] *In hanc, & vicinas sententias, Plinius lib. III. epist. IV. Est ita naturâ comparatum, vt antiquiora beneficia subuertat, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet sæpè obligati, siquid vnum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est. Publius Mimographus callide:*

Beneficium sæpè dare, docere est reddere.

29. NUM DICAM QUARE.] *Feci è libris, in quibus tamen est Nunc. sed sententia connexa, vt præini, & interrogatione elata, ipsa se probat.*

30. ALII TRIA BENEFICIORVM.] *Adde & aliam interpretationem, nec illepidam, è Phornuto: His*

quidem duæ numero Gratia dicuntur, his verò tres. duæ quidem, quod hos auspicari beneficium est necesse, hos verò vices reponere. Tres autem, quandoquidem non rectè fuerit, illum, cui remuneratum est, benè meritum gradum sistere, sed iterum est beneficium parandum, vt sine intermissione id fiat.

31. CONSERTIS MANIBVS.] *Ita pingunt, & sculpunt. eoque Horatius, Segnesque nodum soluere Grantias, dixit.*

32. VIRGINES, QVIA INCORRUPTA.] *Aliam etiam causam Socratis dictum suggerit, quod in Stobæo: Cum quemdam videret passim, & sine dilectu, beneficia largientem; Κανὼς, ἔλεον, ἀπόλοιο. ὅτι τὰς Χάριτας, παρ' ἑαυτοῦ ἔσας, πρόβας ἐπόμοις: Malè sit tibi, inquit. qui Grantias virgines, scorta fecisti. Nam hæc scilicet se vulgò vulgant: etsi non Virginibus haud planè respondet.*

33. IN QVIBVS.] *Hæc separanda erant, & fecimus. neque enim ad Virgines, sed ad Vestes referenda.*

34. ADSRIPTI.] *Mei sic libri. interpretèrque, legem aut conditionem ius non apponi; libera esse, nec tabellis seruitutis adstringi. Ita idem III. libro infra, cap. XX. de seruis: Corpora enim obnoxia sunt, & adscripta dominis: mens quidem est sui iuris. Vt enim Addicti, sic & Adscripti. Vulgò adstricti tamen est: etiam probè.*

35. CONSPICI VOLVNT.] *Non tam cum dantur (hoc statim abnuat, & vetat) sed cum redduntur. ienique ab accipiente, cuius est ea propalare. Sunt igitur ideò pellucidis tunicis, conspicua, & quasi*

dicat necessaria: nemo tamen erit, qui etiam illud ad rem iudicet pertinere, quæ nomina A illis Hesiodus imposuerit. ³⁶ Aglaian maximam natu appellauit, mediam Euphrosynen, tertiam Thalian. Horum nominum ³⁷ interpretationem, & prout cuique visum est, deflectit, & ad rationem aliquam conatur perducere: cum Hesiodus puellis suis, quod voluit nomen imposuerit. Itaque ³⁸ Homerus vni mutauit, Pasithean appellauit, & ³⁹ in matrimonium produxit, ut scias illas Vestales non esse. Inueniam alium poetam, apud quem præcingantur, & spissis ⁴⁰ aut Phryxianis prodeant. Ergo & Mercurius vnâ stat: non quia beneficia ⁴¹ oratio commendat, sed quia pictori ita visum est. Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est, & in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ causâ loquitur, & verbis non ultra, quàm ad intellectum satis est, utitur, totum librum suum his ineptiis replet: ita ut de ratione dandi, accipiendi, reddendique beneficii pauca admodum dicat: nec his fabulas, sed hæc fabulis inserit. Nam præter ista quæ ⁴² Hecaton transcribit, treis Chrysippus Gratiarum ait Iouis & ⁴³ Eurynomes filias esse: ⁴⁴ ætate autem minores quàm Horas, sed meliusculâ facie, & ideo Veneri datas comites. Matris quoque nomen ad rem iudicat pertinere. Eurynomen enim dictam, quia late ⁴⁵ patentis matrimonij sit, beneficia diuidere: tamquam matri post filias soleat nomen

quasi nuda, ut à poetis item dicuntur. Causa & alia ingeniose à Phornutho: Introducuntur nuda, ut cum nullam habeant possessionem, subministrare quædam possint, & prorsus vtiliter largiri. Vult dicere, etiam pauperes ac nudos, posse bene facere.

36. AGLAIAN MAXIMAM.] Nihil verius, & Gruterus probe asseruit. Nam Hesiodus, quem ipse adspexit, ita palam:

Τρεῖς δ' εἰς οἱ Εὐρυνομὴν Χάριτας τέκε καλλιπαρήες,
Ἀγλαίην, καὶ Εὐφροσύνην, Θάλιν τ' ἑσπερινήν.

Tresque Ioui Eurynome Charitas enixa venustas,

Aglaiamque, atque Euphrosynem, Thaliâque placentem.

Eadem nomina in Apollodori Bibliothecâ, Plutarcho, aliisque.

37. INTERPRETATIONEM.] Quæ talis in Plutarchi libello, supra dicto. Nihil perinde est lætitiæ gignendæ, ac beneficentia. ideoque sapiens fuit, qui nomina Gratiis imposuit, Aglaia, Euphrosynes, & Thalia. Phornuthus paria: sed & hoc addit, ipsas Charitas vulgariter appellatas, ὅτι τῆς χαρᾶς, id est à gaudio. Licetne & mihi μυθολογεῖσθαι? Putem Aglaiam dici à splendore, quia talis est primus ille, qui donat; alteram, Euphrosynem, gaudium notare accipientis; tertiam Thaliâ, quæ germinat scilicet & fructificat ad referendum.

38. HOMERVS PASITHEAN.] Sunt verus in Iliad. E.

Ἀλλ' ἴθι, ἐγὼ δ' ἐκείνοι Χαρίτων μίαν ὀπλοτεράων
Δώσω ὁππότε μὲν γαίῃ σὺν κεκλήσθαι ἄκοιτιν,
Πασιδέην:

Verum age, ego Charitum iuuenem vnâ conciliabo

Vxorem tibi, connubiali & fœdere iungam, Pasitheam.

Ita Iuno ibi ad Somnum, o quàm scitè & appositè! quid enim magis gratum gratiosumque hominibus, quàm ille Diuus? ergo & Gratia vxori ei adsit. Sed quare Pasitheam indiget? διὰ τὸ, ait Eustathius, πανταχοῦ δέειν, καὶ μὴ κεκρύφθαι τὴν χάριν: quia quaquaueversus discurrit, nec Gratia occultatur. Physica etiam causâ addatur. quia Somnus ad omnes venit, eiusque vxor.

39. IN MATRIMONIUM.] Somni, ut iam dixi, sed & Charitem dedit nuptui idem poeta Iliad. Σ.

Χάρις λιπαροκρήδευρος
Καλὴ, τὴν ὥπῃ περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις:

Charis velata decore,
Pulchra, cui coniux Vulcanus, claudus utrimque.

Et quare Vulcanus? quod gratiosa sint mechanica opera, ait Phornuthus.

40. AVT PHRYXIANIS.] A Phryxæo vellere tractum vult lumen cui nostri Turnebus: quia villosa talis vestis. Hodie retento nomine, Frise vocamus Celta, & Belgæ. Alij hic Phrygianis malunt, quasi à Phrygiis, qui primi (apud Plinium) acu facere inuenerunt. Sed de crassis vestibus, non de pictis hic est sermo. Tu adi Turnebum lib. XXI II. Aduersar.

41. ORATIO COMMENDAT.] Libri scripti, & editi ante Muretum, ratio commendat vel oratio. Neque ego reiecerim alterutrum: quia utrumque, Mercurio à Græcis tribuitur, vnâ voce λόγου. In beneficio autem prima Ratio requiritur, siue Iudiciū: deinde & Oratio benigna & comis. De istâ, Plutarchus in libello De audiendo: Ἀλλὰ καὶ τὸν Ἑρμῆν ταῖς Χάρισι τοῖς παλαιοῖς συγκαθιδρύσαν, ὡς μάλιστα τῶν λόγων τὸ συγκεχαρισμὸν καὶ προσφιλεῖς ἀπαιτοῦντος: Mercurium Gratiis prisca illi associarunt, quod oratio maximè gratiosum illud & amabile desiderat: etsi aliorum paullo ipse ducit. Magis pro Seneca hic sensu, ipse Seneca, infra libro I I. cap. III. Vide.

42. HECATON TRANSSCRIBIT.] Sic lege, cum manuscriptis. Significat Hecatonem multa mutuatum esse, atque adeo verbatim penè transscripsisse à Chrysippo.

43. EURYNOMES.] Quæ, ut Hesiodus ait, Ὁ καὶ πρὸς ἑσπέρην, πολυήγατον εἶδος ἔχουσα: Oceani proles, votiuâ prædita formâ.

44. ÆTATE MINORES.] Hoc quoque pater talium Hesiodus, qui Horas iamantē genitâs ex Ioue & Themis fingit.

45. PATENTIS MATRIMONII.] Libris, & viris doctis hoc dedi: qui pertendunt Matrimonium eâ facie, quâ Patrimonium dici. Est igitur, & sic expli-

Amen imponi, aut poëta vera nomina reddant. Quemadmodum ⁴⁶ nomenclatori memoriae loco audacia est: & cuicumque nomen non potest reddere, imponit: ita poëta non putat ad rem pertinere, verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore corrupti, id quæque vocari iubent, quod bellè facit ad versum. Nec illis fraudi est, si aliud quid ⁴⁷ in censum detulerunt: proximus enim poëta suum illa ferre nomen iubet. Hoc ut scias ita esse, ecce Thalia, de quâ cum maximè agitur, apud Hesiodum ⁴⁸ Charis est, apud Homerum ⁴⁹ Musa. Sed ne faciam, quod reprehendo, omnia ista, quæ ita **IV.** extra rem sunt, ut nec circa rem quidem sint, relinquam. Tu modò nos tuere, si quis mihi obiiciet, quod Chrysippum ⁵⁰ in ordinem coegerim, magnum mehercule virum, sed tamen Græcum, cuius ⁵¹ acumen nimis tenue retunditur, & in se sæpè replicatur: etiam cum agere aliquid videtur, pungit, non perforat. Hoc verò quod acumen est? De beneficiis dicendum est, & ordinanda res, quæ maximè societatem humanam alligat: danda lex vitæ, ne sub specie benignitatis inconsulta facilitas placeat; ne liberalitatem, **B** quam nec deesse oportet, nec superfluere, hæc ipsa observatio restringat, dum temperat: docendi sunt libenter accipere, libenter reddere, & magnum ipsis certamen proponere, eos quibus obligati sunt, re animoque non tantum æquare, sed vincere. quia qui referre gratiam debet, numquam consequitur, nisi præcessit. hi docendi sunt nihil imputare: illi plus debere. Ad hanc honestissimam contentionem, beneficiis beneficia vincendi, sic nos adhortatur Chrysippus, ut dicat verendum esse, ne quia Charites Iouis filiae sunt, parum se gratè gerere, sacrilegium sit, & tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me aliquid eorum doce, per quæ beneficentior, graviorque aduersus benè merentes fiam, per quæ obligantium, obligatorumque animi certent, ut qui præstiterint, ⁵² obliuiscantur, pertinax sit memoria debentium. Istæ verò ineptiæ poëtis relinquantur: quibus aures oblectare propositum est, & dulcem fabulam necere. At qui ingenia sanare, & fidem in rebus humanis retinere, memoriam officiorum ingerere animis volunt, seriò loquantur, & magnis viribus agant: nisi fortè existimas, leui ac fabuloso sermone, & anilibus argumentis, prohiberi posse rem perniciosissimam, beneficiorum ⁵³ novas tabulas.

Sed quemadmodum superuacua transcurram, ita exponam necesse est, hoc primum **V.** nobis esse discendum quid accepto beneficio debeamus. Debere enim dicit se alius pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam. Ista autem

explica. In re quidem, Phornutus accedit: beneficentiores quodammodo esse, aut debere esse, quibus magnæ tributæ sunt sortes. Quidni sint? ἡ γὰρ τὸ φελοσ (Aristotelis verba VII I I. Nicomachiorum, cap. I.) τῆς τοιαύτης εὐετηρίας, ἀφαιρῆς δέ τινος εὐεργεσίας; & quis usus diuitiarum & abundantiae, sublata beneficentia?

46. NOMENCLATORI.] *Munus ordinarium, siue officium, apud diuites. Sæpè autem ioco ludòque erant, cum memoriâ fallente nomina aliqua dictarent, promptâ semper audaciâ. Noster in epist. XXVII. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam tribus quam ille Troianos & Achiuos, per salutabat.*

47. IN CENSVM.] *A Romano ritu. quisque cuius, nomen, ætatem, opes in censuales tabulas deferrebant: atque ea vera, & iurati. Itaque ludens, Parum refert, inquit, si aliud nomen proprium verumque habent: nec poëta id aspiciunt, sed quod facit ad versum. Eadem locutio in epist. XCV.*

48. CHARIS EST.] *Versibus iam datis, Thalia inter Charitas censetur.*

49. MUSA.] *Thalia inter Musas nouem, & vulgò etiam habetur.*

CAP. IV. 50. IN ORDINEM.] *Tullio, aliisq; crebra phrasis. vel à militiâ, vel à magistratibus du-*

cta. Inter milites, sunt extra vel supra ordines, Legati, Tribuni, & tales: ἡ γὰρ in ordinem videntur, cum ius ius demitur, paresq; habentur gregariis. Simile in magistratu. qui eminet, nec est in vulgi classe vel ordine: quò compellitur, si auctoritas eius spernitur aut violatur.

51. ACUMEN NIMIS TENVE.] *Adhæsit hac culpa Chrysippo, & curiosâ subtilitate virilem & masculam illam sectam (Stoicorum dico) enervauit. Vis argumentum? trecenta vndecim volumina solius *Diog. partis Logicæ reliquit. Aded ille differre magis docuit, quam viuere. Laert.*

52. OBLIVISCANTVR.] *Vetus monitum, & quod Chiloni tribuitur. Eius nomine, Ausonius ita versibus comprehendit:*

Tu benè siquid facias, non meminisse fas est: Quæ benè facta accipias, perpetuò memento.

53. NOVAS TABULAS.] *Id est, obliuionem vel potius abolitionem beneficiorum, & nequid debeamus. Sumptum à re nummariâ, in quâ Nouæ tabulæ, χρεὼν δόκοναι bonis Glossis explicantur: id est, resectio & expunctio debitorum. Cum enim pares rationes, & nulla reliqua, itur ad novas tabulas conficiendas. Simile in epist. LXXXI. & infra De Benef. VII. cap. X.*

tem sunt meritorum signa, non merita. Non potest beneficium manu tangi: ⁵⁴ animo **A** cernitur. multum interest inter materiam beneficij, & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum quæ ⁵⁵ à proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Imperiti autem id, quod oculis incurrit, & quod traditur possidentque, solum notant: contra, illud quod in re carum atque pretiosum est, parvipendunt. Hæc quæ tenemus, quæ aspiciamus, in quibus cupiditas nostra hæret, caduca sunt: auferre ea nobis & fortuna, & iniuria potest: beneficium verò, etiam amisso eo quod datum est, durat. Est enim rectè factum, quod irritum nulla vis efficit. Amicum à piratis redemi: hunc alius hostis excepit, & in carcerem condidit. non beneficium, sed vsum beneficij mei sustulit. Ex naufragio alicui raptos, vel ex incendio liberos reddidi: hos vel morbus, vel aliqua fortuita iniuria eripuit: manet etiam sine illis, quod in illis datum est. Omnia itaque, quæ falsum beneficij nomen vsurpant, ministeria sunt, per quæ se voluntas amica explicat. Hoc quoque in aliis rebus euenit, vt aliubi sit species rei, aliubi ipsa res. Imperator aliquem, ⁵⁶ torquibus, murali, & ciuicâ donat. quid habet **B** ⁵⁷ per se corona pretiosum? quid ⁵⁸ prætexta? quid ⁵⁹ fasces? quid ⁶⁰ tribunal, & ⁶¹ currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne. Sic non est beneficium id quod sub **VI.** oculos venit, sed beneficij vestigium & nota. Quid est ergo beneficium? ⁶² Beneuola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit prona, & sponte suâ parata. Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed quâ mente. Quia beneficium non in eo quod fit aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen, vel ex hoc intelligas licet, quod beneficium vique bonum est: id autem quod fit aut datur, nec bonum nec malum est. ⁶³ Animus est, qui parua extollit, sordida illustrat, magna & in precio habita dehonestat: ipsa, quæ appetuntur. neutram naturam habent, nec boni, nec mali, id refert, quod illa rector animus impellat, à quo forma datur rebus. Non est ergo beneficium ipsum, quod numeratur, aut traditur. sicut nec in victimis quidem, ⁶⁴ licet opimæ sint, ⁶⁵ auroque præfulgeant, deorum est honos; sed ⁶⁶ piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre **C** ⁶⁷ ac fitillâ religiosi sunt; mali rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo

CAP. V. 54. ANIMO CERNITVR.] Acutè sic Muretus. nam vetus omnis lectio, geritur. Quod defendi videatur istis è libro II. cap. XXXIV. Non est quod exspectes, vt solutionem tibi ostendam: res inter animos geritur.

55. A PROXIMIS.] Imò verò & à longinquis. An suū, aperto sinu? an quod Grutero placitum, pro maximis? an propius erit, quæ pro summis? Nam illa particula, à, libris sanè deest.

56. TORQVIBVS.] Aureis. de quibus, alijsque hîc militaribus donis, liber V. Militiæ nostre dicit.

57. PER SE CORONA.] Nihil. nam è queru est.

58. PRÆTEXTA.] Insigne magistratum.

59. FASCES.] Item magistratum, vel potestatum.

60. TRIBVNAL.] Prætoris, aut Proconsulis.

61. CVRRVS.] Triumphalis.

CAP. VI. 62. BENEVOLA ACTIO.] Repete Valerij verba: Liberalitatis duo fontes, verum Iudicium, & honesta Beniuolentia. Sed quare honesta? ne ad fædum amorem & volentiam eas. Sallustius eodem facit: Nemo munificus habebatur, nisi pariter volens.

63. ANIMVS EST.] In Phornuto, vetus hoc verbum: Munerum animus optimus.

64. LICET OPIMÆ.] Festus: Hostiæ opimæ, præcipuæ, pingues.

65. AVROQVE PRÆFULGEANT.] Nempe in cornibus & fronte. Mos Homero notus, in Odys. γ.

Τὴν (βούν) τοι ἐγὼ πρέξω, χρυσὸν κέρασι περιχένας:

Hanc (bouem) tibi ego faciam, circumdans cornibus aurum.

Tangit & alibi: sicut Ouidius,

— inductaque cornibus aurum

Victima. Virgilius:

Et statuam ante aras auratâ fronte iuuenicum.

In lapide, Votis XX. alibus:

VOTA. FAVENTINVS. BIS DENI. CONCIPIT.

ORBIS.

VI. MACTET. REPETENS. AVRATA. FRONTE. **D**

IUVENCOS.

Liuius XXV. Apollini boue aurato, & capris duabus albis auratis. A quo redargui Plinius videtur, lib. XXXIII. cap. III. Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum, quàm vt auratis cornibus hostiæ, maiores dumtaxat, immolarentur. Atqui capræ, non inter maiores.

66. PIA AC RECTA.] Plinius in Panegyrico: Animaduerto enim etiam deos, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & sanctitate lætari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit. Nos ibi plura.

67. AC FITILLA.] Non amat Seneca obsoletas voces,

A multo cruentauerint. Si beneficia in rebus, non in ipsâ benefaciendi voluntate VII.
 confisterent, eò maiora essent, quò maiora sunt, quæ accepimus. id autem falsum est.
 nonnumquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnificè: qui *Regum æquauit*
opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam
 respicit: qui non voluntatem tantum iuuandi habuit, sed cupiditatem: qui accipere se
 putauit beneficium, cum daret: qui dedit tamquam non recepturus, recepit tamquam
 non dedisset: qui occasionem, quâ prodesset, ⁶⁸ & occupauit & quæsiuit. Contrà, ingra-
 ta sunt (vt dixi) licet re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut
⁶⁹ excidunt: multoque gratus venit, quod facili, quam quod plenâ manu datur. Exi-
 guum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic quod dedit, magnum est:
 sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret, gemit, sed superbè dedit, sed ⁷⁰ circumtulit,
 & placere non ei, cui præstabat, voluit. ⁷¹ ambitioni dedit, non mihi. Socrati cum VIII.
 multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent: Æschines pauper auditor, Nihil, in-
 B quit, dignum te quod dare tibi possim, inuenio: & ⁷² hoc vno modo pauperem me esse sentio. Itaque
 dono tibi quod vnum habeo, Me ipsum. Hoc munus rogo qualecumque est, boni consulas, cogitesque
 alios cum multum tibi darent, ⁷³ plus sibi reliquisse. Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, mihi ma-
 gnum munus dederis, nisi fortè paruo te æstimas? Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam
 quàm accepi. Vicit Æschines hoc munere Alcibiadis ⁷⁴ parem diuitiis animum, & om-
 nem iuuenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo animus inueniat IX.
 liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: Nihil egisti fortuna,
 quòd me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huic viro munus: & quia de tuo
 non possum, de meo dabo. Neque est quod existimes illum vilem sibi fuisse, ⁷⁵ qui pre-
 tium se sui fecit: ingeniosus adolescens inuenit, quemadmodum Socratem ⁷⁶ sibi daret.
 Non quanti quæque sint, sed à quali dentur, perspicendum. ⁷⁷ * Callidus non diffici-
 lem aditum præbet immodica cupientibus: spesque improbas, nihil re adiuturus, ver-
 bis fouet. At eius ⁷⁸ peior est opinio, qui linguâ asper, vultu grauis, cum inuidiâ fortu-
 C nam suam explicauit. ⁷⁹ Colunt enim, detestanturque felicem, & si potuerint, eadem
 facturi, odère facientem. ⁸⁰ * Coniugibus alienis nec clàm, sed apertè quidam ⁸¹ ludi-
 brio habitis, suas aliis permisere. Rusticus, inhumanus, ac ⁸² maleuolus, & inter ma-
 tronas

voces, fateor, sed hanc mutare religio vetabat, in quâ
 usurpabant. Et libri sanè habent plerique, sicillâ. Te-
 neamus igitur, nisi quis eligit, fritillâ: vt in Arno-
 bio, lib. v. i. i. Quid fritilla, quid frumen? Vide
 Festum in Muries, ubi olla fritilis: Nonium in
 Exfit.

CAP. VII. 68. ET OCCVPAUIT.] Præuenit,
 aut præuertit.

69. EXCIDVNT.] Est quod Capite I. dixit, vt à
 nesciente dari.

D 70. CIRCVMTVLIT.] Ostentauit, vt in pompâ.
 71. AMBITIONI DEDIT.] Suo morbo.

CAP. VIII. 72. HOC VNO MODO.] Quia
 aliàs nil quero, nil desidero: sed dum tibi aliquid que-
 ro, disco quod nesciebam, multa mihi abesse.

73. PLUS SIBI RELIQ.] At ego qui ni-
 hil habeo, vnum quod habeo donans, nihil mihi
 seruo.

74. PAREM DIVITIIS.] Largum, vt ipse.

CAP. IX. 75. QVI PRETIVM.] Malo, cum
 libris, illud, qui, ablegari. Acutiùs ita efferetur: Non
 idèò se parui fecit, quia donauit: sed magni potius,
 quia nullum dignum se donum, extra se, repperit. Pe-
 tronij hoc de Româ, a Similat: Ipsa sui merces erat.
 Flori: Misera respublica in exitium suum mer-
 ces erat.

76. SIBI DARET.] Se dando, Socratem ita suum
 fecit, vt illi instruendo vacaret: atque ita eum sibi
 quasi mancipauit.

77. * CALLIDVS NON.] Defectum odoror. &
 fuit de iis qui donaturi, fallunt. Alter, inquit, beni-
 gnè respondet, & ducit, non donat: alter asperè, &
 ostendit opes, non communicat.

78. PEIOR OPINIO.] Pincianus: At is pe-
 ior, opinor: Sed fouet, non sanat; & est omnino hia-
 tus, vt dixi.

79. COLVNT ENIM.] Epistolâ XLII. par sen-
 tentia. Vide.

80. * CONIUGIBVS ALIENIS.] Neque ista satis
 nexa sunt: quidenim ad iam dicta? Est excursio siue
 digressio in cuius mores: sed cui alia occasio, &
 caput fuit.

81. LVDIBRIO HABITIS.] Mitius ita dicunt:
 sicut veneriari, ludere, & vultu Græci. Ludibrio
 igitur habentur, quibus illuditur. vt Suetonius, de
 Tiberio: Solitus matronarum capitibus illudere.
 Tacitus de Nerone: Illulisse eum pueritiæ Bri-
 tannici.

82. MALEVOLVS.] Libri plerique prisce, mali
 moris. Ego teneam: aut certè, malè moris. malè
 stultus.

tronas abominandæ conditionis est, si quis coniugem ⁸³ in sellâ prostare vetuit, & vulgò **A** admissis inspectoribus vehi ⁸⁴ vndique perspicuam. Si quis nullâ se amicâ fecit insignem, nec alienæ vxori ⁸⁵ æmulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis, & ⁸⁶ ancillariolum vocant. Hinc decentissimum ⁸⁷ sponsaliorum genus, adulterium: & in consensu ⁸⁸ vidui cælibatus, nemo vxorem duxit, nisi ⁸⁹ qui abduxit. Iam rapta spargere, sparsa ⁹⁰ pari auaritiâ recolligere certant: ⁹¹ nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, ⁹² suam timere, nullum aliud vereri malum: ⁹³ pacem iniuriis perturbare, imbecilliores vi ac metu premere. Nam prouincias spoliari, & ⁹⁴ nummariū tribunal, auditâ vtrunque ⁹⁵ licitatione, alteri addici, non mirum: quando **X.** ⁹⁶ quæ emeris, vendere, gentium ius est. Sed longius nos impetus euehit, prouocante materiâ. Itaque sic finiamus, ne in nostro sæculo culpa subfidat. Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimus; hoc posterī nostri querentur, euersos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi. At ista stant loco eodem, stabuntque, paullulū dumtaxat vtrò aut citrò mota, vt fluctus: quos æstus accedens longius extulit, recedens interiore littorum vestigio tenuit. Nunc in adulteria magis, quàm in alia peccabitur, ⁹⁷ abrumpetque frænos pudicitia: nunc conuiuiorum vigeat furor, & fœdissimum patrimoniorum exitium culina: nunc cultus corporum nimius & formæ cura, præ se ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam & audaciam erumpet malè dispensata libertas: nunc in crudelitatem priuatam ac publicam ibitur, bellorumque ciuiliū insaniam, quâ omne sanctum ac sacrum profanetur. Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit. Non expectant vno loco vitia: sed mobilia & inter se dissentiētia tumultuantur, pellunt inuicem, fuganturque. Cæterū idem semper de nobis pronunciare debebimus, malos esse nos, malos fuif-

83. IN SELLA.] Quâ matronæ vehebantur, siue cathedrâ. Dixi affatim i. Elector. Cap. de Leticia.

84. VNDIQUE PERSPICVAM.] Et sellâ aperta, & ipsâ Cois illis vel carbasinis parum tectâ. Noster infra: Vt matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant. Et alibi: Quam in sellâ patente circumlatam, populus ab omni parte, æquè ac maritus inspexerit.

85. ÆMVLVM PRÆSTAT.] Quò magis scilicet ametur. Nam ubi rivalitas, affectus increfcit: tum etiam concurritur, quasi ad latens aliquod bonum. Noster infra lib. III. cap. XVI. Eò ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt irriter adulterum. In Cicerone etiam Æmulus eo sensu: Licet eum solus ames, me æmulum non habebis. Libri tamen aliquot scripti, anulum.

86. ANCILLARIOLVM.] Ancillarum amoribus deditum. Martialis:

Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipsa Leticariola est, estis Alauda pares.

87. SPONSALIORVM GENVS.] Initium & gradus ad matrimonium, & quasi sponsalia, adulterium.

88. VIDVI CÆLIBATVS.] Mutuo vtrunque consensu & fœdere, soluunt coniugium diuertendo: tum liberi scilicet iunguntur.

89. QVI ABDVXIT.] Palàm ducit, quam à marito, per adulterium, clàm iam abduxerat. Potes & interpretari, abductam per diuortium. Nec displicuit aliquando, nisi quam duxit, vt in verbo ludat: quod inter obscena etiam esse scimus. Sed non muto.

90. PARI AVARITIA.] Quomodo par auaritiâ sparsioni? imò dissimillima. Ex libris scriptis totum hoc legas: Iam rapta spargere, sparsa rapaci auaritiâ colligere. Nam in his est: sparsa erat agri

auaritiâ. Ouidiana sunt:

Quærere vt absument, absumpta requirere certant.

Est etiam, quod Aristoteles verè notat i v. Ethicorum, prodigos, eosdem ferè rapaces esse, & capere vnde non oportet. Quomodo enim adsidue aliter donent?

91. NIHIL PENSI.] A Sallustio dicas, in Catilinario: Rapere, consumere, sua paruipendere, aliena cupere, nihil pensi neque moderati habere.

92. SVAM TIMERE.] Meus liber: suamque timere, quàm vllum aliud vereri malum. Legam, quàm vllum aliud verè malum. Paupertatem, opinionem malum, magis timent; quàm probum, re malum. Tacitus simile, de Marcello: Morum haud spernendus habebatur, nisi quòd paupertatem extremum malorum credebatur. Quidam etiam libri breuius: suam, quàm vllum aliud vereri malum. Neque id malè. vtròque autem, magis, intellegendum: vt prisci loqui solent.

93. PACEM INIVRIIS.] Vulgò hæc corrupta, sententia est, pacem publicam iniuriis aut rapinis Præsidum turbare, & populos per se quietos agi in arma.

94. NUMMARIVM TRIBVNAL.] Cicero in Verrem: Ecquod Romæ iudicium tam dissolutum, tam nummariū fore putasti? corruptum, & in quo nummi ac nundinatio versantur.

95. LICITATIONE.] Vt in auctione, vtra pars plus daret.

96. QVÆ EMERIS.] Poëta Hispanus:

Nam quod emas, possis dicere iure tuum.

C A P. X. 97. ABRVMPETOVE FRÆNOS.]

De eodem sexu, eadem metaphorâ Propertius:

Vt semel impositi rupistis fræna pudoris.

98. OMNIA

A fuisse, inuitus adiiciam, & futuros esse. Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quod⁹⁸ omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix vllum magnum facinus accreuit. Hoc tu caue, tamquam maximum crimen, ne admittas: ignosce tamquam leuissimo, si admissum est. Hæc est enim iniuriæ summa. Beneficium perdidisti. Saluum est tibi ex illo, quod est optimum: dedisti. Quemadmodum autem curandum, vt in eos potissimum beneficia conferamus, qui gratè responsuri erunt: ita⁹⁹ quædam, etiam si de illis malè sperabitur, faciemus, tribuemusque, non solum si iudicabimus ingratos fore, sed si sciemus fuisse. Tamquam si filios alicui restituere potero, magno periculo liberatos, sine vlllo meo¹⁰⁰ incommodo, non dubitabo. Dignum, etiam impendio sanguinis mei tuebor, & in partem discriminis veniam: indignum, si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere. Sequitur vt dicamus, quæ beneficia x i. danda sint, & quemadmodum. Primò demus necessaria, deinde vtilia, deinde iucunda, vtique mansura. Incipiendum est autem à necessariis. aliter enim ad animum peruenit, quod vitam continet: aliter quod exornat, aut instruit. Potest in eo aliquis fastidiosus esse æstimator, quo facilè cariturus est, de quo dicere licet: *Recipe, non desidero. meo contentus sum.*¹⁰¹ interim non reddere tantum libet quod acceperis, sed abiicere. Ex his quæ necessaria sunt, quædam primum obtinent locum, sine quibus non possumus viuere; quædam secundum, sine quibus non debemus; quædam tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notæ sunt, hostium manibus eripi, & tyrannicæ iræ, & proscriptioni, & aliis periculis, quæ varia & incerta humanam vitam obsident. Quidquid horum discusserimus, quo maius ac terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam. Subit enim cogitatio, quantis sint liberati malis: &¹⁰² lenocinium est muneri, antecedens metus. Nec tamen ideò debemus tardiùs quemquam seruare, quàm possumus: vt muneris nostro timor¹⁰³ imponat pondus. Proxima ab his sunt, sine quibus possumus quidem viuere, sed vt mors potior sit: tamquam libertas, & pudicitia, & mens bona. Post hæc habebimus coniunctione, ac sanguine, vsuque, & consuetudinè longâ, cara: vt liberos, coniuges, penates, ceteraque quæ vsque eò animus sibi applicuit, vt ab illis, quàm à vitâ diuelli grauius existimet. Subsequuntur vtilia, quorum varia & lata materia est. Hic erit pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata: hic erit honor, & processus ad altiora tendentium. nec enim vtilius quidquam est, quàm sibi vtilem fieri. Iam cetera ex abundanti veniunt, delicatos factura. In his sequemur, vt opportunitate grata sint, vt non vulgaria, quæque aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc ætatem habent,¹⁰⁴ aut quæ etiam si naturâ pretiosa non sunt, tempore aut loco fiant. Videamus quid oblatum maximè¹⁰⁵ voluptati futurum sit; quid frequenter occursurum habenti, vt toties nobiscum, quoties cum illo sit. Vtique cauebimus, ne munera superuacua mittamus: vt fæminæ aut senis arma venatoria, aut rustico libros, aut studiis

98. OMNIA ISTA AB INGRATO.] *Eâ mente Publius:*

Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum hominem dixeris.

Ausonius:
Ingrato homine terra peius nil creat.

Denique Plautus:
Pol quidem, meo animo, ingrato homine nihil impensius.

99. QVÆDAM ETIAM.] *Nempe obuia, & facilia. ex Tully præcepto pari:* Quidquid sine detrimento possit commodari, tribuendum esse vel ignoto. ex quo sunt illa communia, Non prohibere aquâ profluente, Pati ab igne capere ignem.

100. INCOMMODO.] *Abscst consensu libris. ergo scribo:* magno periculo liberandos, sine vilo meo, non dubitabo. *Possit & utraque voce iunctim scri-*

bi, & clariùs: magno periculo liberandos, liberatos sine vilo meo.

CAP. XI. 101. INTERIM NON REDDERE.] *Valeat interdum.*

102. LENOCINIVM EST.] *Commendatio, quod gratiam dat & ornatum.*

103. IMPONAT PONDVS.] *Grauius auctiùsque faciat.*

104. AVT QVÆ ETIAM.] *Supplenda ex libris:* Habent, aut hoc modo; quæ etiam si. *Rara videntur, inquit, quæ vel pauci habent, vel non hoc modo habent: id est, formâ, magnitudine, aliis qualitatibus, quæ in æstimatione rerum variè spectantur. Vt, margarætæ communes satis: sed non tali pondere, candore, orbe. Idem in animalibus, aliisq.*

105. VOLVPTATI FUTVRVM.] *Nam, vt Plautus,*

— nullum beneficium

Esse duco id, quod, quoi facias, non placet.

Z 3

CAP.

- studiis ac litteris dedito retia. Æquè ex contrario circumspiciemus, ne dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus: sicut ebrioso vina, & valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur. Si arbitrium dandi penes nos est, præcipuè mansura quæremus, ut quàm minimè mortale munus sit. Pauci enim sunt tam grati, ut quod acceperint, etiam si non vident, cogitent. Ingratis quoque memoria cum ipso munere incurrit: ubi ante oculos est, & obliuisci sui non finit. sed auctorem suum ingerit & inculcat. Eò quidem magis duratura quæramus, quia numquam admonere debemus: ipsæ reseuanescentem memoriam excitent. Libentiùs donabo¹⁰⁶ argentum factum, quàm signatum: libentiùs statuas, quàm vestem, & quod vsus brevis deterat. Apud paucos post rem manet gratia: plures sunt, apud quos non diutiùs in animo sunt donata, quàm in vsu. Ergo si fieri potest, consumi munus meum nolo: exstet, hæreat amico meo, & conuiuat. Nemo tam stultus est, ut monendus sit, ne cui gladiatores aut¹⁰⁷ venationem iam munere edito mittat, & vestimenta æstiuâ brumâ, hiberna¹⁰⁸ solstitio. Sit in beneficio sensus communis, tempus, locum, personas obseruet: quia¹⁰⁹ momentis quædam grata & ingrata sunt. Quanto acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quàm cuius copiâ abundat? quod diu quærit, nec inuenit, quàm quod ubique visurus est? Munera non tam pretiosa, quàm rara & exquisita sint, quæ etiam apud diuitem suilocum faciant: sicut gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si prouenire maturiùs. Illa quoque non erunt sine honore, quæ aut
- XIII. nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij. Alexandro Macedoni, cum victor Orientis, animos supra humana tolleret,¹¹⁰ Corinthij per legatos gratulati sunt, & ciuitate illum suâ donauerunt. Cum risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis: Nulli, inquit, ciuitatem umquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos inuitatione aliaque humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloriæ deditus, cuius nec naturam nec modum nouerat,¹¹¹ Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens ubi illa defecerant, ad socium honoris sui respexit à dantibus: tamquam cælum, quod mente vanissimâ complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur. Quid enim illi simile habebat vassanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transiit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator? At hic¹¹² à pueritiâ latro, gentiumque vastator,¹¹³ tam hostium pernicies, quàm amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis mortalibus; oblitus, non ferocissima tantum, sed ignauissima quoque animalia¹¹⁴ timeri, ob virus malum. Ad propositum
- XIV.

CAP. XII. 106. ARGENTVM FACTVM.] In vasis, statuis, ornamentis: quod manet. At Signatum, in Pecuniâ, dissipatur & abit.

107. VENATIONEM.] Ipsas feras accipe, venatu captas, & venatui item (Romanum illum dico) aptas. Linius lib. xxv. Dux Philomenes erat, cum solito captræ venationis onere: id est, cum apro, ut Polybius: grandi bestiâ, ut mox ipse Linius. Spartianus in Hadriano: Venationem semper cum amicis participauit. Frontinus 111. Stratag. Venationi quoque (ita lege) & pecoribus quidam infuerunt litteras. Sidonius lib. iv. Venatu vitur, nec vitur venatione. Glosse Iuuenalis: — festinat ad illam,

Quam primam rupto prædam gustauerit ouo: id est, inquit, ad venationem vnde nutrita est. Gallorum idiotismus idem habet.

108. SOLSTITIO.] Æstiuum accipe. ut ferè veteres, quoties Brumale non adiciebant.

109. MOMENTIS QVÆDAM.] Temporum aut occasionum. Valerius: Dono autem ipsi gratiam magnitudo quidem sua, sed efficacior aliquanto opportunitas conciliat.

CAP. XIII. 110. CORINTHII.] In Plutarcho, Megarenses id fecisse leguntur.

111. HERCVLIS.] Idem infra vii. cap. iii. Alexander, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit: sed per prioris illius magis. Vide Senecam patrem Suasoria 1.

112. A PVERITIA.] Ab anno xvi. scribunt militie & imperis à patre admotum: si tamen ea Pueritia.

113. TAM HOSTIVM.] Sensus & vsus volebant, tam amicorum quàm hostium: sed ea metathesis nescio quomodo crebra, & penè assidua, nostro est. Exemplum in Fabio 1. Semestr.

114. TIMERI OB VIRVS.] Idem de Ira, ii. cap.

A tum nunc reuertamur. Beneficiū quod¹¹⁵ quibilibet datur, nulli gratum est. Nemo se¹¹⁶ stabularij aut cauponis hospitem iudicat, nec conuiuiam¹¹⁷ dantis epulum, vbi dici potest: *Quid enim in me contulit?* Nempe hoc quod in illum, & vix benè notum sibi, & in illum etiam mimicum ac turpissimum hominem. Numquid enim me dignum iudicauit?¹¹⁸ morbo suo morem gessit. Quod voles gratum esse, rarum effice: quis patitur sibi¹¹⁹ imputari vulgaria? Nemo hæc ita interpretetur, tamquam reducam liberalitatem, & franis arctioribus reprimam. Illa verò, in quantum libet, exeat: sed eat, non erret. Licet ita largiri, vt vnusquisque etiam si cum multis accepit, in populo se esse non putet. nemo non habeat aliquam familiarem notam, per quam¹²⁰ speret se propius admissum. Dicat, Accepi idem quod ille, sed vltro. Accepi quod ille: sed ego intra breue tempus, cum ille diu meruisset. Sunt, qui idem habeant: sed non eisdem verbis datum, non eadem comitate tribuentis. Ille accepit, cum rogasset: ego, cum rogaret. Ille accepit: sed facilè redditurus, sed cuius senectus & liberorum orbitas magna promittebat: mihi plus dedit, quamuis idem dederit, quia sine spe recipiendi dedit.¹²¹ Quemadmodum meretrix ita inter multos se diuidit, vt nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet, quomodo & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se ceteris præferant. Ego verò beneficiis non obiciam moras: quæ quò plura maioraque fuerint, plus afferent laudis. Adsit tamen iudiciū. neque enim cordi esse cuiquam possunt, fortè ac temerè data. Quare si quis existimat nos, cum ista præcipimus, benignitatis fines¹²² introrsus referre, & illi minùs laxum limitem aperire, nã perperam monitiones nostras exaudit. Quam enim virtutem magis veneramur? cui magis stimulos addimus? quibùsve tam conuenit hæc adhortatio,¹²³ quàm nobis, societatem humani generis sancientibus?

Quid ergo est? cum sit nulla honesta vis animi, etiam si à rectâ voluntate inceperit, nisi xv. quam virtutem modis fecit, veto liberalitatem¹²⁴ nepotari. Tunc iuuat accepisse beneficium, & ¹²⁵ supinis quidem manibus, vbi illud ratio ad dignos perducit: non

cap. x 1. Nec hoc sapientis dici velim, quod feræ quoque telum est, timeri.

CAP. XIV. 115. QVIBVS LIBET DATVR.] Cicero II. De offic. Multi multa faciunt, temeritate quadam, sine iudicio vel modo, in omnes; vel repentino quodam impetu animi, quasi vento, incitati quæ beneficia æquè magna habenda non sunt, atque ea quæ iudicio, consideratè, constanterque delata sunt. Adde finem huius Capituli.

116. STABVLARIJ.] Diuersitoris, *κωδονχέως*, vt Glossæ explicant. Qui enim viantes ipsos, atque animalia eorum excipit, quia ibi stant & manent, Stabularius. Ipse locus, Stabulum. Apuleius: Pretio mansionis stabulario persoluto. Festus: Prosedas, meretrices Plautus appellat, quod ante stabula sedeant: nempe hæc diuersoria & cauponas, quod etiam hodie. Inde & Prostibula: nec ad pecuaria stabula referas.

117. DANTIS EPVLVM.] Nempe publicum. nam in priuato aliud est, & obligamur.

118. MORBO SVO.] Neque olim, neque nunc probo, quidquid me vellicent. At enim Morbus vitium est, & inueteratus affectus, Stoicâ linguâ. Scimus, & aliud me doceant: sed quid hic de vitio, sodes, nisi si mores legesque in vitio? Nam iis obtemperabant, qui epulum in Capitolio, vel in foro & publico dabant. Itaque inclinabam legere, neque muto, moribus morem gessit. Tamen quisque pro se præcipimus, non trahimus.

119. IMPVTARI VVLGARIA?] *Abest*, vulgaria libris: neque ego desiderem.

120. SPERET SE.] *Putet, opinetur: vt sapè huius sequentiſq; auctores.*

121. QVEMADMODVM MERETRIX.] *Pulchrè. & sunt hæc ab Ennio, aut fallor. Ille quidem eadem:*

—quasi in choro pilâ
Ludens, datatim dat se & communem facit.
Alium tenet, alij annuat, alij manus
Est occupata, at alij peruellit pedem.
Alij dat anulum, *spectaculum: labris
Alium inuocat; cum alio cantat; attamen
Alij dat digito litteras.
Scitè, nec potest supra.

* Itarepperit in v. cod. vulgò, exspectadum à labris.

122. INTRORSVS REFERRE.] *Et quod sequitur, arctare ac minuire.*

123. QVAM NOBIS.] *Stoicis. nam Epicurei diuellerant, ad sua priuatim commoda quidque referentes.*

CAP. XV. 124. NEPOTARI.] *Nepotes imitari, profundere, dilapidare. Tertullianus: Aristippus in purpurâ nepotatur. Inde & Nepotatus, ipsa actio, Suetonio & Plinio.*

125. SUPINIS QVIDEM.] *Expansis, promptisque.*

quod quilibet casus & consilij indigens imperus defert: quod ostentare libet, & ¹²⁶ in- A
scribere sibi. Beneficia tu vocas, quorum auctorem fateri pudet? At illa quanto gratio-
ra sunt, quantoque in partem interioram animi nunquam exitura descendunt: cum
delectant, cogitantem magis à quo, quam quid acceperis? ¹²⁷ Crispus Passienus solebat
dicere, quorundam se iudicium malle, quam beneficium: quorundam beneficium
malle, quam iudicium. & subiiciebat exempla: *Malo*, aiebat, ¹²⁸ *divi Augusti iudicium:*
malo ¹²⁹ *Claudij beneficium*. Ego verò nullius puto expetendum esse beneficium, cuius
vile iudicium est. Quid ergo? Non erat accipiendum à Claudio quod dabatur? erat:
sed ¹³⁰ sicut à Fortunâ, quam scires statim posse malam fieri. Quid ergo ista inter se
mixta diuidimus? Non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio.
Alioquin pecunia ingens si non ratione, nec rectâ voluntate donata est, non magis
beneficium est, quam thesaurus. Multa sunt autem, quæ oportet accipere, ¹³¹ nec
debere.

126. INSCRIBERE SIBI.] *Se auctorem
profiteri.*

127. CRISPVS PASSIENVS.] *Qui Ne-
roni vitricus, Agrippinae alter maritus: amæni in-
genij, orisque disertis. Vide nostra ad XII. Annal.
Taciti.*

128. DIVI AVGVSTI.] *Considerati & pru-
dentis Principis.*

129. CLAVDII.] *Fatui & mori.*

130. SICVT A FORT.] *Idest, sicut ceca il-
la Dea indignis dignisque sæpe dat, & mox eripit:
ita censere de Claudio licebat, capere, sed mox for-
tasse capiendum.*

132. NEC DEBERE.] *Nec pro eis obli-
gari.*

